



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

IX. Ostenditur Christum sibi etiam aliquid meruisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)



rarum, sed significat genitum fuisse à Patre, priusquam vllà creatura efficeretur, iuxta illud Prouerb. 8. *Dominiis possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Sed de his multa diximus in primo libro.

Iam quod attinet ad Patres, qui dicunt, Christum Mediatorem dedisse legem Hebræis, vel mundum creâsse. **R**ESPONDEO, Patres loqui de Mediatore materialiter, nō formaliter, non enim dicunt, Christum fuisse Mediatorem in creando mundo, aut in lege danda, sed dicunt, Christum Mediatore, id est, illam personā, quæ postea futura erat mediatrix, esse verum Deum, & auctore mundi, & legis, & omnium rerum. Vnde **CHRYSOSTOMVS** expressè dicit, Christum auctorem fuisse legis, & proinde abrogare illā potuisse. Ex quo sequitur, eum non vt Mediatorem, sed vt auctore primarium id fecisse: nec enim Mediator est auctor, nec legē abrogare potest, qui non est auctor. Et ibidem **AVGVSTINVS** dicit, Christū esse quidem Mediatorem, sed mediare inter totam Trinitatē & homines peccatores. Ex quo iterum sequitur, eum non fuisse propriè Mediatore, quando nulli erāt homines peccatores.

## CAPVT IX.

*Ostenditur, CHRISTVM sibi etiam aliquid meruisse.*

**R**ESTAT postrema quæstio; An videlicet Christus operibus, ac laboribus suis, non solū nobis omnibus gratiā & gloriam acquisierit, sed etiam aliquid acquisierit sibi. Et quidē Theologi Doctores apud Magistrum, in 3. sent. dist. 18. conveniunt inter se, atq; vno consensu docent, Christum præter ea bona, quæ suis laboribus peperit nobis, meruisse etiam sibi corporis gloriam, & nominis exaltationem.

Repugnat **CALVINVS** lib. 2. Instit. cap. 17. §. 6. *Quærens, inquit, an sibi meruerit, quod faciunt Lombardus, & Scholastici, non minus stulta est curiositas, quàm temeraria definitio, sibi hoc idem asserunt. Quid enim opus fuit descendere Ver-nicum Dei Filium, ut sibi acquireret quidquam novi? Et con-silium suum exponens Deus, omnē dubitationem exemit. Non enim Filij Stilitati consuluisse dicitur Pater in eius meritis, sed*



sed eum tradidisse in mortē, neq; ei pepercisse, quia mundum diligeret. Et notanda sunt loquutiones Prophetica; Puer natus est nobis. Item; Exulta filia Sion; Ecce Rex tuus venit tibi. frigeret etiam aliqui confirmatio illa amoris, quam Paulus commendat, quod Christus pro inimicis mortem subierit. Inde etiam colligimus nationem sui non habuisse; Idq; clare affirmat, dicens; Pro illis sanctifico meipsum. Se etiam nihil acquirere testatur, qui fructum sanctitatis suæ in alios transfert. Et certè hoc maximè dignum observatu, quod Christus, et se totum addiceret in salutē nostram, quodammodò sui oblitus est. Hæc ille. Et paulò infra: Quibus meritis, inquit, assequi potuit homo, et iudex esset mundi, caput Angelorum, atq; et potiretur summo Dei imperio?

Hæc tamen nihil impediunt veritatem. Dicimus ergo, Christum meruisse sibi illa omnia, quæ accepit post passionem suam. Et probatur hoc primò expressis Scripturis. ad Philip. 2. Humiliauit semetipsum, factus obediēs & q; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. Ad Heb. 2. Videmus IESVM propter passionem mortis gloria & honore coronatum.

Respondet CALVINVS his testimoniis solùm significari, Christum post passionem suam habuisse gloriam, nō autem vnū fuisse causam alterius; sicut cū dicitur Luca ultimo: Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.

At imprimis etiam iste locus potest significare causam. est enim, ac si dictum esset; Oportet vincere, & sic triumphare. Deinde, non sunt omnino similia ista loca. Nam Philip. 2. & ad Heb. 2. habetur particula (PROPTER) quæ particula causam vbiq; significare solet. Deinde particula (ET) in illis verbis: Propter quod & Deus exaltauit illum, apertè indicat causam. Est enim sensus, Christus obediuit Deo, & vicissim Deus honorauit illum: sicut Matth. 16. post confessionem Petri, dicit ei Dominus: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. Vbi Hieronymus: Mercedem, inquit, recepit vera confessio. Deniq; sic exposuerunt omnes Patres. CHRYSOSTOMVS hom. 7. in epist. ad Philip. Extremā, inquit, Christus præsstitit obedientiā, propterea accepit & supremum honorem, &c. Vbi hortatur Chrysostomus ad obedientiam & humilitatē: quæ exhortatio frigidissima esset, si illud, propterea, non diceret causam.

AMBROSIVS



AMBROSIVS in cap. 2 Philip. *Quid, inquit, & quantum humilitas mereatur, hic ostēditur.* &c. AVGVSTINVS tract. 104. in Ioan. hunc locū tractans: *Humilitas, inquit, claritatis est meritum, claritas humilitatis est pramium, sed hoc factū est in forma serui.* Vide etiam Cyrillum lib. 3. thesau. cap. 2. Basilium lib. 4. in Eunom. Augustinum lib. 2. contra Maximin. cap. 5 & lib. 3. ca. 2. Theophylactum, Oecumenium, Primasium, Bedam, Anselmū, & alios in hæc loca. Omnes enim ex his locis colligunt, Christum meruisse humilitate gloriam, non solum nobis, sed etiam sibi. Et certè longè tutius est, tot veteres Patres, Græcos & Latinos in Scripturarum explicatione sequi, quàm nouellos istos Doctores, qui non videntur sibi sapere, nisi omnibus contradicant. Præterea est etiam congruentia rationis; nam melius est, ceteris paribus, aliquid ex merito habere, quàm sine merito.

Si dicas, quare ergo non etiam gratiam & scientiam, & gloriam animæ habuit Christus ex merito?

Respondet B. THOMAS, 3. p. q. 19. art. 3. Christum debuisse habere omnia optimo modo. sunt autem quedam bona tam excellentia, vt melius sit illis nunquā carere, quàm ea acquirere ex merito, quia magis detrahit perfectioni alicuius carentia illorum ad tempus, quàm dignitas merendi: & tamen non potest quis ea mereri, nisi aliquando illis careat. Et talia sunt, gratia, gloria, sciētia, & præcipuè vnio hypostatica, quæ omnia Christus ab initio habuit. At gloria corporis, & nominis exaltatio minora sunt, quàm ipsa dignitas merendi, & ideo melius fuit carere illis ad tempus, & ex merito illa acquirere, quàm carere dignitate merendi.

## CAPVT X.

### *Soluuntur argumenta Caluini.*

” **N**EQVE argumenta CALVINI valde metuēda sunt. Nam cū ait; *Quid opus fuit descendere vnicum Filium Dei, vt sibi acquireret aliquid noui?* Respondeo, non eguisse Dei Filium vlla re, nec descendisse, vt sibi aliquid acquireret. Nam qui descendit, Deus fuit, non homo; im mō hoc ipsum descendere fuit hominem fieri, & seipsum exinanire. At postquā descenderat, & formam serui acceperat, aliquid sibi acquisiuit in ea forma, quam